

CAPUT XXV.

ALIIS OBJECTIONIBUS CONTRA SUPERIOREM CONCORDIAM AB INCOMMODIS DESUMPTIS SATISFIT.

1. *Objectiones contra superiorem concordiam ab incommodis desumptæ.* — *Primum incommodum.* — *Secundum.* — *Tertium.* — *Quartum.* — *Quintum.* — Ultra superius dicta, præcipue nobis objicitur quod, juxta illam rationem concordia, multa videntur consequenter concedenda, quæ in Semipelagianis vel etiam in Pelagianis sunt damnata, aut certe ad illa nimium videntur accedere. Primum est, quia sequitur auxilium efficax recipere efficaciam a libero arbitrio, et consequenter, id quod est potissimum in tali auxilio esse a nobis, et non ex Deo, quod dici non potest. Sequela patet, quia, juxta nostram sententiam, auxilium in re non est efficax, nisi per liberam determinationem voluntatis humanæ, et ipsa vocatio non denominatur efficax, nisi per habitudinem ad illam determinationem, et quasi per denominationem ab illa. Secundum est, quia sequitur rationem, ob quam auxilium nobis datum est efficax, esse voluntatem nostram bene utentem sua libertate. Consequens est falsum; ergo. Sequela patet ex præcedenti propositione, quia nostrum arbitrium est, quod suo bono usu dat efficaciam auxilio; ergo est ratio ob quam est efficax. Falsitas autem consequentis probatur, quia sic homo fidelis discerneret se a non fideli per suum arbitrium, contra Paulum, 1 Corinth. 4. Tertium est, posse hominem resistere auxilio efficaci, quia potest facere ut non sit efficax, quandoquidem hoc pendet ex sua libertate. Consequens autem est falsum, quia auxilium efficax procedit ex proposito Dei absoluto, cui nemo potest resistere, et est medium efficax ad illius propositi executionem; sed voluntati Dei efficaci nemo potest resistere, ut dicitur Esther. 13. Ergo neque efficaci auxilio. Unde argumentor in hunc modum, quia vel vocationi congruæ resisti potest, vel non potest. Si potest illi resisti, non est auxilium efficax; si non potest ei resisti, non minus repugnat libertati quam prædeterminatio physica, et difficultates omnes de illa propositæ hic locum habent. Quartum inconveniens est, quia sequitur auxilium efficax non addere supra auxilium sufficiens aliquod auxilium prævenientis gratiæ, sed solum cooperationem voluntatis cum auxilio simultaneo. Ex quo ulterius fit auxilium efficax

non distingui a sufficiente, nisi in actuali effectione et in auxilio simultaneo, ac proinde non esse efficax, quia facit hominem consentire, sed quia illo cooperante facit cum illo consensum, quæ omnia sunt a nobis in cap. 1 præcedentis libri reprobata. Quintum est, quia sequitur conversionem hominis non resolvi ultimate in solam divinam voluntatem, sed etiam in humanam, ac subinde ex duobus vocatis ad fidem, quod unus credat, et alter non credat, non esse tribuendum soli divinæ voluntati, sed maxime humanæ; nam iste non credit, quia non vult; ille autem credit, quia vult. Et licet sit differentia, quod ille solo suo arbitrio non vult, iste autem non solo arbitrio, sed adjuvante simul gratia, vult, nihilominus propria et innata libertas est in suo genere non solum proxima, sed etiam ultima ratio, in quam discretio illa resolvitur. Quod si verum esset, cessaret admiratio Augustini, cur hunc trahat et illum non trahat, etc.; nam facilis est ratio, scilicet, quia hic vult et ille non vult, quod neque Augustino, neque modo loquendi Scripturæ consentaneum est. Et similia multa possunt objici et inferri, quæ videntur contraria vel Scripturis, vel Conciliis, vel Augustino, et ideo, de his testimoniis tractando in sequentibus capitibus, alias objectiones commodius proponemus.

2. *Respondetur ad objectiones.* — *Ad primum incommodum.* — Ad propositas vero objectiones, respondemus nihil posse ex nostra sententia sequi, quod errorem Pelagii vel Massiliensium redoleat, cum ab utroque errore longissime discrepet, imo utique directe opponatur. Quod facile intelligit qui attente consideraverit quæ de illis erroribus, in prolegom. 4, fideliter ac diligenter tradidimus, et quæ in his quinque libris de necessitate auxiliorum gratiæ, tam excitantis quam adjuvantis, ad inchoanda, perficienda, et consummanda pietatis opera docuimus. Ad primum ergo inconveniens negatur sequela. Vocatio enim congrua, sicut non habet suum esse vel suam perfectionem a libero arbitrio, ita neque ab illo potest efficaciam suam habere, sed vel efficienter habet illam a Deo, vel formaliter a sua perfectione, quæ intrinsece est talis virtus agendi. Neque obstat quod tale auxilium non sit effecturum, nisi cum illo sit concursura simul voluntas humana se libere determinans; nam hinc solum fit tale auxilium non exercere actu suam efficaciam sine libero arbitrio concausante cum illo, inde vero non fit quod auxilium ab altera concausa habeat suam effica-

ciam, sed solum quod eam non exerceat sine illa. Sicut habitus charitatis non elicit actum sine voluntate se determinante, et tamen non recipit efficaciam a voluntate, sed solum non exercet illam sine voluntate. Et ut hoc evidentius fiat, distinguamus vocem illam *efficaciam*, potest enim significare vel vim et potestatem agendi, vel actualem causalitatem aut effectiorem. Si ergo priori modo sumatur, evidens est vocationem congruam non recipere efficaciam suam a libera determinatione voluntatis, nam ante talem determinationem habet vocatio illam efficaciam, effective quidem a Deo, ut dixi, formaliter vero per se ipsam, quia habet innatam et intrinsecam illam vim agendi vel causandi, quæ nomine *efficaciæ* in prædicta acceptione significatur. Si vero sit sermo de efficacia posteriori modo sumpta, subdistingui potest, nam duplex causalitas potest in illa vocatione considerari, una antecedens ordine naturæ liberum consensum voluntatis, et determinationem ejus, et hæc in genere causæ efficientis nondum est efficacia in actu secundo, sed in actu primo, tamen in genere causæ formalis est vera causalitas physica, quam vocatio habet, vel in intellectu illuminando illum, vel in voluntate afficiendo et vitaliter inclinando illam, et hæc tota causalitas, sive physica et formalis, sive in suo genere effectrix bonæ voluntatis, est eodem modo effective a Deo, et intrinsece ac formaliter ab ipsamet vocatione, et nullo modo esse potest a libero arbitrio, ut constat. Alia ergo est efficacia actualis, seu in actu secundo causæ efficientis, sive physica, sive moralis. Et hæc efficacia nihil est aliud quam ipsa actio voluntatis quatenus a tali auxilio procedit, de qua actione verissime dicitur vocationem non efficere illam sine consortio, et determinatione libera voluntatis. Propter quod recte monuit Augustinus, lib. de Grat. et liber. arbit., cap. 2, in fine: *Ut qui aliquid secundum Deum operatur, non alienet hoc a propria voluntate.* Non tamen propterea dici potest habere auxilium a voluntate illam efficaciam, seu actionem, sed solum non habere illam sine cooperatione voluntatis, quod verissimum est, et ab arguentibus necessario confitendum in sua sententia. Quia licet daretur voluntati auxilium prævium prædeterminans, nihilominus non potest actu efficere consensum sine cooperatione libera voluntatis se libere determinantis, ut etiam ipsi, vel invitati, confitentur, ne usum libertatis in consensu negent, et nihilominus non dicent voluntatem dare auxilio

illam efficaciam, sed tantum auxilium non habere illam sine voluntate libere concausante.

3. *Nomine efficaciæ quid intelligatur.* — Sed dicent fortasse nomine *efficaciæ* nihil ex dictis intelligi, sed ipsam actualem determinationem ad operandum; hinc enim auxilium vel vocatio vocatur efficax quod includit quamdam infallibilem determinationem ad agendum; tota autem ratio hujus determinationis in nostra sententia videtur esse liberum arbitrium, quia vocatio illa, quantumvis congrua, non facit illam determinationem efficaciter, sed ad illam semper quasi expectat liberum arbitrium, et ideo dicimus esse necessariam præscientiam liberæ determinationis, ut actio auxilii sit infallibiliter futura; ergo quoad hoc tota efficacia est a libero arbitrio, non solum respectu vocationis, sed etiam respectu Dei, quia etiam Deus non prædeterminat liberum arbitrium, sed quasi expectat determinationem ejus. Declaratur exemplo de voluntate et habitu charitatis; quando enim voluntas tali habitu affecta exercet actum amoris, licet habitus non recipiat a voluntate efficaciam quoad ipsam actionem, seu efficientiam ejus, nihilominus a voluntate habet determinationem, et quasi applicationem quoad exercitium actus. Ita ergo erit in præsentia de vocatione; nam, licet sit congrua, in suo usu, ut ita dicam, et exercitio suæ actionis subjicitur voluntati et dominio ejus non minus quam habitus; hoc enim nos necessarium putamus ad concordiam ejus cum libertate.

4. Ad replicam, respondeo in his et similibus objectionibus tacite supponi determinationem esse quid distinctum ab actione voluntatis, et prius illa, quod nos omnino negamus. Quia non admittimus in voluntate libere operante determinationem simpliciter præviam in actu primo, credimus enim actionem procedentem a tali principio non posse esse liberam, ut hactenus late ostensum est. Seclusa autem determinatione in actu primo, ex voluntate quocumque Dei auxilio ita præventa, ut maneat in actu primo indeterminata (ut salvetur libertas ejus in operando), immediate sequitur determinatio in actu secundo, quæ nihil est aliud realiter ac formaliter, nisi actio ipsa consentiendi, quia voluntas non se determinat nisi efficiendo suum consensum. Quantum ergo ad rem spectat, parum refert loqui de illa actuali efficacia sub nomine determinationis, vel sub nomine actionis consensus, cum in re nulla sit distinctio, sed tantum in nomi-

nibus. Igitur sicut ostensum est vocationem non habere efficaciam suæ actionis a libero arbitrio, sed a Deo effective, et ab innata virtute formaliter, ita dicendum est de determinatione. Nam vocatio de se determinata est ad talem actionem, et exercitium ejus, non totaliter (ut sic dicam), sed quantum est ex parte sua, et cum hac determinatione a Deo datur sub eadem conditione, si voluntas cooperari voluerit; et ideo, licet verum sit, posita illa vocatione, et oblato auxilio simultaneo, solum expectare determinationem, quatenus a libera voluntate pendet, nihilominus nullam efficaciam vel determinationem inde recipit auxilium, sed tantum illi conjungitur concausatio (ut sic dicam) voluntatis.

5. Et hoc ipsum confirmat exemplum de voluntate et de habitu charitatis, nam habitus charitatis de se satis est determinatus ad suam actionem, non est enim formaliter liber, et ideo, quantum est ex se, determinatus est ad exercitium et speciem sui actus, illum tamen non semper elicit, etiam proposito objecto, quia non est integram principium sui actus, sed indiget cooperatione voluntatis, et quia voluntas libera est, et per habitum non cogitur suam cooperationem illi præstare, ideo dicitur habitus quasi applicari a voluntate ad operandum, non quia talis applicatio vel determinatio sit aliquid prævium in ipso habitu, sed quasi per denominationem extrinsecam, vel concomitantiam, quia eo ipso quod voluntas se applicat, determinat, seu flectit, habitus etiam elicit actionem ad quam de se satis erat natura sua determinatus. Ita ergo censemus de vocatione etiam congrua, si secundum se et secundum suam entitatem tantum consideretur; nam si spectetur ut datur ex proposito Dei, sic habet quamdam determinationem non intrinsecam, sed extrinsecam ita ordinatam ad effectum, secundum præscientiam conditionatam, ut infallibiliter illum consequatur. Et secundum hanc rationem, a Deo et non ab arbitrio habet efficaciam suam, etiam quoad determinationem ad talem effectum, quia ex libera voluntate Dei datur homini vocatio talis ac tantæ activitatis, cum tali congruitate et habitudine ad effectum infallibiliter consequendum. In qua observatione et attemperacione vocationis maxime misericordia Dei relucet, teste Augustino, lib. de Spirit. et litter., cap. 34, et aliis locis infra citandis. Unde, licet talis vocatio in executione illum effectum consecutura non sit sine influxu libero voluntatis humanæ, quem respicit ut infallibiliter

futurum, nihilominus non habet suam efficacitatem ab illo; sicut præscientia visionis non est in Deo sine habitudine ad effectum futurum, et tamen non est ab illo, neque suam veritatem habet ab illo, et Pater æternus talis est per habitudinem ad Filium, et tamen non habet paternitatem ab illo; hæc enim duo longe diversa sunt, ut est per se notum.

6. Respondetur ad secundum incommodum.— Ad secundum inconveniens, negatur sequela. Et quia illatio probationis solum probatur ex primo inconveniente, cum illud negatum sit, et ostensum non sequi, evanescit illa probatio. Ut autem res ipsa evidentior sit, et inde nostra sententia magis confirmetur, adverte ex Augustino, lib. de Dono persever., cap. 10, cooperationem nostram liberam cum vocatione congrua, ut transit in gratiam adjuvantem et cooperantem, comparari posse, vel ad voluntatem Dei, seu propositum æternum quod Deus habuit dandi talem vocationem, vel ad actualem efficientiam ipsius vocationis cum actuali influxu liberi arbitrii cooperantis. Et juxta hanc duplicem considerationem, potest esse duplex sensus illius consequentis, quod nostra libera cooperatio sit ratio ob quam nobis detur vocatio congrua, scilicet, ut sit ratio ob quam voluit Deus nobis illam dare, vel ut sit ratio ob quam vocatio in se fit et constituitur efficax et congrua. Et in priori sensu oportet sumere illam cooperationem, ut ab æterno prævisam, quia, ut facta in tempore, non potest esse ratio æternæ voluntatis Dei. In posteriori autem sensu, sermo esse debet de libera cooperatione arbitrii, ut in tempore exercetur.

7. Dico ergo, si illatio fiat in priori sensu, malam esse, et consequens esse falsum. Nam si operatio illa liberi arbitrii spectetur ut præcognita per scientiam absolutam qua futura prævidentur, talis præscientia supponit in Deo voluntatem et propositum dandi homini talem vocationem; ergo non potest esse ratio illius voluntatis; si autem sit sermo de præscientia conditionata, sic, licet secundum rationem antecedit propositum Dei, non tamen potest esse ratio talis propositi, quia illa cooperatio in illo signo nondum cognoscitur, ut simpliciter futura. Nam conditionalis nihil ponit in esse, nec homo est dignus præmio vel pœna propter actionem tantum sub conditione futuram, ut Augustinus, lib. 2 de Dono persever., cap. 9 et 10, et alibi frequenter docet contra Semipelagianos. Et colligitur ex illo Sapient. 4: *Raptus est ne malitia mutaret in-*

tellectum ejus; et ratio est, quia totum illud opus, quandiu solum est sub conditione futurum, continetur sub latitudine entis, et non actualis, et ideo non potest in eo, ut sic prævisio, fundari actuale meritum, nec impetratio, aut aliud simile genus causæ vel rationis, sed solum potest fundari ratio finis. Et hoc modo verum est liberam cooperationem futuram, et sub conditione prævisam, fuisse finem propter quem voluit Deus dare vocationem congruam, ut homo consentiret: inde tamen non sequitur illam cooperationem esse rationem divini propositi, sed potius sequitur esse effectum ejus, et ad summum dici posse rationem finalem ipsius vocationis. Hoc autem non est contra rationem gratiæ efficacis; nam quomodocumque explicetur auxilium efficax, in omni sententia dicendum est dari homini ut illi infallibiliter cooperetur, licet non detur illi quia cooperaturus est. Hæc namque duæ habitudines, per illas duas particulas *ut et quia* importatæ, sunt inter se repugnantes, nam in posteriori indicatur præexistens causa, seu ratio, aut motivum dandi auxilium; in priori vero denotatur potius effectus, qui etiam est finis auxilii, seu vocationis Dei. Sicut Paulus dixit ad Ephes. 1: *Elegit nos ut essemus sancti*, non quia futuri eramus sancti, ut ibi notat Hieronymus, et eodem modo addit ibidem Paulus: *Sorte vocati sumus, prædestinati secundum propositum ejus qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ, ut simus in laudem gloriæ ejus*, etc. Et Augustinus lib. de Prædestinatione sanctor., cap. 17: *Intelligamus (ait) vocationem qua fiunt electi, non qui eliguntur, quia crediderunt, sed qui eliguntur ut credant*; et cap. 19: *Non quia credidimus, sed ut credamus vocamur, atque illa vocatione quæ sine pœnitentia est, id prorsus agitur et peragitur ut credamus*. Et Concilium Arausican., can. 25, cum Augustino ponderat illud 1 Corinth. 7: *Misericordiam consecutus sum ut sim fidelis*, addens: *Non quia eram fidelis*. Quamvis ergo scientia conditionata futuræ liberæ cooperationis præcedat voluntatem dandi talem vocationem, eaque sufficiat et necessaria sit ut vocatio propter talem cooperationem tanquam propter suum proximum finem detur, non tamen sufficit ut propter illam tanquam propter rationem, seu causam meritoriam, impetratoriam, vel aliam similem detur. Quia (ut dixi) illæ habitudines sunt repugnantes, et habitudo finis optime cadit in rem nondum præcognitam ut absolute futuram, sed ut possibilem,

vel futuram sub conditione; habitudo vero alterius rationis vel causæ postulat existentiam causæ, saltem ut absolute futuram, seu præsentem in præscientia.

8. Et a posteriori hoc confirmatur, quia in multis Deus prævidet sub conditione fuisse consensuros, si vocarentur tali modo, ut de Tyriis et Sidoniis dicit Christus, Matth. 11, et tamen non propterea vocati sunt illo modo, ut ponderat Augustinus, dicto cap. 10 de Don. persever., et in Enchirid., cap. 95. Et in omnibus reprobis cognovit Deus sub conditione quod consentirent, si hoc vel illo modo vocarentur, et tamen illis non dantur vocationes congruæ, ut de Esau dixit Augustinus, quæst. 2 ad Simplician. Igitur ex tali modo congruitatis aut efficacitæ vocationis, nullo modo sequitur dari ex parte hominis rationem aliquam decentiæ vel congruitatis propter quam a Deo talem vocationem recipiat. Quod necesse fateantur etiam fautores physicæ prædeterminationis; negare enim non possunt quin Deus, priusquam velit talem prædeterminationem dare, sub conditione prævideat hominem consensurum, si illi tale auxilium detur: et nihilominus qui recte ex illis sentiunt non admittent consensum liberi arbitrii esse rationem vel causam ob quam Deus vult dare tale auxilium, sed potius esse effectum, vel ad summum finem auxilii. Et ideo merito supra diximus errare qui in illa sententia dicunt consensum liberum voluntatis, licet sit a prædeterminatione, esse dispositionem ad illam; tum quia illæ duæ habitudines sunt inter se repugnantes, ut dixi; tum etiam quia ratio facta urget contra illam sententiam, quod ex parte hominis daretur ratio et causa auxilii efficacis, negari enim non potest quin dispositio præparans hominem ad gratiam sit ratio vel aliqua causa illius.

9. Dicendum superest de altera parte, si sensus argumenti sit, ex nostra sententia sequi, quod, in executione ipsa, determinatio liberi arbitrii sit ratio ob quam seu per quam determinatio fiat efficax, et congrua. Et sic etiam nullius momenti vel considerationis est illatio. Quia, ut in præcedenti puncto dictum est, licet auxilium efficax ad suam actualem efficientiam requirat coefficientiam liberam voluntatis, nihilominus auxilium non fit efficax per efficientiam liberi arbitrii, sed per propriam virtutem et actionem, et ita determinatio liberi arbitrii non est ratio efficacitatis auxilii, etiam in executione, sed potius sub una ratione est effectus ejus, sub altera vero

est coefficientia cum eodem. Nam eadem vocatio efficax considerari potest, vel ut est auxilium præveniens, et inducens voluntatem ad consensum, vel ut transit in statum gratiæ cooperantis et adjuvantis. Et priori quidem ratione est causa saltem moralis ipsius liberæ determinationis voluntatis; prius vero quam hunc effectum in re ipsa obtineat, non dicitur efficax, nisi quia et illum potest obtinere, et de facto infallibiliter illud obtinebit. Inde tamen non fit ut determinatio libera sit ratio efficacis vocationis, sed solum sequitur quod in illa consummetur efficacia auxilii tanquam in termino et effectu per illud intento. Nec etiam sequitur, quod illud auxilium solum sit efficax, ut concomitans, seu per solam denominationem ab effectu, sed solum sequitur non esse efficax sine habitu ad effectum infallibiliter consequendum, quam habitudinem habet priusquam effectus in re sequatur, et consequenter prius etiam quam tale auxilium transeat in adjuvans, seu concomitans, et a sua virtute effectrice, ut est sub illa habitu, denominatur efficax, et ita includit determinationem liberi arbitrii, non ut rationem suæ efficacis, sed ut terminum seu effectum ejus.

10. Quatenus autem vocatio consideratur ut actualiter operans consensum simul cum voluntate, sive moraliter, sive etiam physice, vel per seipsam, vel per aliquod aliud supernaturale principium quod habet conjunctum sub hac ratione, sua efficacia est ipsamet actio qua fit consensus, non tamen ut est a libero arbitrio, sed ut est ab ipsa vocatione, seu principio aliquo supernaturali. Et ideo ratio efficacis auxilii non est determinatio libera voluntatis, quamvis non sit sine illa, quia nomine determinationis liberæ significatur illa actio, ut est a libera voluntate, a qua esse non potest nisi etiam sit ab auxilio efficaci, neque etiam potest esse ab auxilio quin sit a voluntate. Magis autem recipit nomen determinationis liberæ per habitudinem ad voluntatem hominis quam per habitudinem ad auxilium efficax, vel ad voluntatem Dei, quia cum ibi concurrant simul Deus, habitus infusus, aut aliquid supplens vicem ejus quando ille deest, et voluntas hominis, et ex his tribus quasi conflatur unum principium concretum, quod prius natura intelligitur esse in actu primo, in illo priori sola voluntas humana intelligitur indifferens ad influxum suum præstandum; nam habitus de se determinatus est modo jam declarato, et licet Deus libere influat, jam supponitur sua voluntate determinatus ad in-

fluendum quantum est ex se, ut supra etiam declaravi; voluntas autem hominis adhuc manet indeterminata in illo priori, ut actio possit esse libera. Ideoque, quando in posteriori naturæ actio illa simul procedit ab illis principiis quasi partialibus, formaliter denominatur determinatio in ordine ad voluntatem hominis, quamvis simul fiat a Deo et a gratia adjuvante, tam moraliter quam physice. Atque ita illa determinatio non est ratio alii principiis, ut agant vel efficacis sint, sed est quædam concausalitas, sine qua actualis efficientia aliorum principiorum subsistere non possit.

11. *An possit voluntas resistere vocationi congruæ.*—*Objectio tertia.*—In tertia objectione ponitur quid sit dicendum de potestate resistendi vocationi congruæ. Aliqui enim absolute concedunt sequelam, nimirum, voluntatem posse resistere voluntati congruæ, quia, ut auxilium efficax non tollat libertatem, videtur necessaria in voluntate potestas illi resistendi, ut videntur probare argumenta facta contra physicam prædeterminationem, et videtur etiam sumi ex Concilio Tridentino et Senon., ut infra videbimus, et est expressa sententia Augustini, lib. 3 de liber. Arbitr., c. 18, ubi sic ait: *Quæcunque causa est voluntatis, si ei resisti non potest, sine peccato ei ceditur*, utique quia sine libertate, unde etiam dicere posset, sine merito ei consentitur, etiamsi actus sit bonus. Contra hoc autem videtur urgere argumentum factum, quia verbum *resistendi* includit compositionem, quia nisi supponatur aggressor, non habet locum resistentia; resistere autem vocationi congruæ, illa supposita, videtur impossibile, quia alias non esset infallibiliter efficax; ergo illa supposita non manet in voluntate potestas resistendi. Propter quod alii simpliciter negant esse in nostra voluntate potestatem resistendi auxilio efficaci, seu vocationi congruæ, nec putant illam potestatem esse necessariam ad libertatem, quia auxilium efficax non est necessarium ad posse, sed ad agere, seu velle, et libertas consistit in posse. Sed hoc a nobis impugnatum est in physica prædeterminatione, et eadem ratio videtur habere locum in omni auxilio præveniiente efficaci, quia omne tale auxilium dat posse, quia, ut præveniens est, non dat agere, hoc enim pertinet ad auxilium simultaneum, de quo solo potest in rigore dici quod det tantum agere, et non posse. Unde Augustinus sæpissime docet per vocationem, qua præparatur voluntas a Domino, dari ho-

mini potestatem ut filius Dei fiat. Mihi ergo dicendum videtur vocationem congruam dupliciter spectari posse, primo, ut vocatio est secundum omnem entitatem quam includit; secundo, ut denominatur congrua per habitudinem ad effectum infallibiliter futurum. Priori modo spectatæ dico semper resisti posse, quia non determinat voluntatem, ut supra probavi, et quia, simpliciter loquendo, nulla est repugnantia quod cum tali vocatione simul stet et componatur negatio consensus, imo et voluntas non consentiendi in objectum vocationis, sed potius in contrarium, quia illa vocatio relinquit voluntatem indifferentem ad hæc omnia. Et hoc etiam probat ratio in priori opinione adducta, et aliæ factæ contra physicam prædeterminationem. At vero, sumpta vocatione congrua posteriori modo, et sub illa reduplicatione, ut congrua est, sic dico non posse illi resisti, propter rationem factam, quod illa ut congrua includit propositum Dei efficax a quo procedit. Et ratio a posteriori est, quia vocatio, ut congrua, involvit usum liberum, et supponit illum in divina præscientia; homo autem non habet potestatem resistendi suomet consensui in eodem et pro eodem instanti in quo habere illum supponitur, quia non potest velle non consentire dum consentit, facta utique suppositione; sed vocatio, ut congrua, involvit actualem consensum modo explicato; ergo illi ut sic non potest eadem voluntas resistere. Et ob eandem causam talis potentia resistendi non est necessaria ad libertatem, nec impotentia resistendi vocationi congruæ, ut talis est, repugnat libertati, tum quia ad libertatem non est necessaria potestas ad opposita, unum cum alio componendo; tum etiam quia impotentia illa solum est ex suppositione consequente, et supponente jam usum libertatis, et ideo non repugnat libertati, sicut etiam necessitas consequens illi non repugnat.

12. *Differentia inter auxilium efficax positum in prædeterminatione physica, vel in vocatione congrua.*—Ex quo tandem constat differentia inter auxilium efficax positum in prædeterminatione physica, vel in vocatione congrua. Nam priori modo est suppositio omnino antecedens, sive spectetur secundum suam nudam entitatem, sive sub ratione auxilii efficacis; hæc enim duo in illa entitate non distinguuntur, quia ex vi suæ entitatis ac per se dicitur habere vim determinandi voluntatem, cui ipsa voluntas non potest resistere; et ideo talis impotentia resistendi inducit neces-

sitatem absolutam et simpliciter, non tantum consequentiæ, sed rei, et consequentis. At vero vocatio congrua, ut est congrua, et auxilium efficax, non est suppositio omnino antecedens; nam licet illa vocatio absolute spectata sit auxilium præveniens, tamen, ut congrua est, involvit habitudinem ad usum liberum infallibiliter futurum, non ex absoluta efficacia prædeterminante talis vocationis, sed ex spontanea cooperatione voluntatis futura, et prævisa sub conditione a Deo, qui talem vocationem, ut congruam et efficacem, dare voluit. Et ideo impotentia resistendi illi vocationi ut congrua est, non supponit necessitatem absolutam, sed tantum ex suppositione consequente, ut declaratum est. Libertas autem salvatur per hoc, quod liberum arbitrium de se potens est ad resistendum illi vocationi secundum se spectatæ.

13. *Respondetur ad quartum inconueniens.*—*Auxilium efficax quid addit sufficienti?*—Ad quartum inconueniens, concedimus auxilium efficax non addere supra sufficientem novum auxilium præveniens, quod sit motio vel qualitas distincta a toto auxilio sufficiente, et ab influxu simultaneo, et prior natura illo. Imo hoc existimamus necessarium, tum ut auxilium sufficientem sit vere sufficientem, tum ut potestas proxime libera ad efficiendum et non efficiendum actum inveniatur in homine, non tantum sufficienter sed etiam efficaciter vocato. Unde etiam supra diximus vocationem congruam non addere sufficienti aliquam proprietatem absolutam, quia illa esset necessaria ad posse, et non esset in hominis potestate, cum sit præveniens, et, illa data, non esset in hominis potestate non habere actum ad quem sic vocatur. Et sic incidemus in omnia incommoda quæ vitare studemus. Hæc autem rationes probant de quocumque alio auxilio distincto a sufficiente et ultra illud necessario. Nihilominus vero negamus hinc sequi, contra superius dicta, auxilium efficax non esse præveniens, quia sua ratione datur antequam homo operetur, et non constituitur in illa ratione per cooperationem, vel per auxilium simultaneum, sed per efficaciam virtutalem sibi intrinsicam, ut est sub habitu ad cooperationem liberi arbitrii de facto infallibiliter futuram cum auxilio gratiæ simultaneo.

14. *Vocatio congrua, ut est auxilium efficax præveniens, quomodo a sufficiente distinguatur.*—Atque eodem modo vocatio congrua, ut est auxilium efficax præveniens, a sufficiente dis-